

# THEORICA MOTVS.

## PRÆFATIO.

N V N C ingredimur in disputationem, in qua ipsa rei incertitudo & obscuritas, cum difficultate hypothesis certare videtur. Cum enim hic motus ob nimiam tarditatem, ne nostra quidem, vt opinor, ætate satis adhuc exploratus est, verum alijs certorum seculorum interuallis alia varietate occurrit, necesse fuit varias quoque de eo artificum opiniones existere. Ac profecto dignum est admiratione, cum Babylonij siue Chaldæi, itemque Ægyptij, quæ regiones & planæ sunt, & serenissimo cœlo fruuntur, omnem curam in siderum cognitione posuerint, progressus tamen inerrantium stellarum, vt de reliquis in hoc genere phænomenis nihil dicam, tam sero esse animaduersos. Primus enim Hipparchus, sicut Ptolemæus, Plinius & alij testantur, & anni quantitatem accuratius obseruauit, & stellarum cœlo hærentium loca exacte constituit, quæ dum ad Timocharidis obseruationes conferebat, deprehendit spheram inerrantium stellarum aliquo etiam motu progredi. Vide Ptolemæum libro tertio & septimo, Plinium libro secundo, capite vicesimo sexto. Existimo, autem me operæ precium facere, si studiosis harum artium breuiter & tanquam in transcurso monstrem, quæ sit huius tractationis methodus apud Ptolemæum.

1. Primum proponit stellas non erraticas esse in una sphaera, ac perpetuo eosdem inter se situs custodire ac retinere. Id probat multis exemplis insignium & nobilium siderum, Vt linea, quæ recte a splendidis, quæ sunt in medio collo Leonis, ad istam ducitur, quæ splendida in hydro est, paulum ad ortus intercipit eam, quæ in corde Leonis est, Vt linea, quæ ducitur a splendida, quæ in lumbis Leonis est, ad splendidam, quæ in posterio-